



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De annexis matrimonio, & debiti redditione. Quæstio 64.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

In decr.  
4. tit. 21.  
c. 1.

Ad secundum dicendum, quod secundum matrimonium quamvis in se consideratum sit perfectum sacramentum, tamen consideratum in ordine ad primum, habet aliquid de defectu sacramenti: quia non habet plenam significationem, cum non sit una unitas, sicut est in matrimonio Christi & Ecclesie: & ratione huius defectus benedictio à secundis nuptiis subtrahitur. Sed hoc est intelligendum, quando secundæ nuptiæ sunt secundæ & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur: saluatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias. Quia Christus etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. Sed anima non potest esse sponsa alterius, quàm Christi: quia alias cum damore fornicatur; nec est ibi matrimonium spirituale. Et propter hoc quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur, propter defectum sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod significatio perfecta inuenitur in secundo matrimonio secundum se considerato; non autem si consideretur in ordine ad præcedens matrimonium: & sic habet defectum sacramenti.

Ad quartum dicendum, quod secundum matrimonium impedit sacramentum ordinis, quantum ad id quod habet de defectu sacramenti, & non in quantum est sacramentum.

#### QVÆST. LXIV.

De annexis matrimonio, & debiti redditionis in septem articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de annexis matrimonio. Et primo, de debiti redditione. Secundo, de pluralitate vxorum. Tertio, de bigamia. Quarto, de libello repudij. Quinto, de filiis illegitimis natis.

¶ Circa primum quærentur septem.

¶ Pri-

- ¶ Primo, vtrum alter coniugum teneatur alteri debitum reddere ?
- ¶ Secundo, vtrum debeat aliquando reddere non poscenti ?
- ¶ Tertio, vtrum vir & vxor in hoc sint æquales ?
- ¶ Quarto, vtrum vnus sine consensu alterius possit votum emittere, per quod redditio debiti impediatur ?
- ¶ Quinto, vtrum tempus impediatur debiti petitionem ?
- ¶ Sexto, vtrum petens tempore sacro peccet mortaliter ?
- ¶ Septimo, vtrum reddere teneatur tempore festiuo ?

263

ARTIC. I.

*Virum alter coniugum teneatur alteri ad redditionem debiti ?*

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod alter coniugum non teneatur alteri ad redditionem debiti ex necessitate præcepti. Nullus enim prohibetur à sumptione Eucharistiæ, propter hoc quod præceptum implet. Sed ille, qui vxori debitum reddit, non potest carnes agni edere: vt Hieron. † in quædam dicit. Ergo reddere debitum non est de necessitate præcepti.

¶ 2 Præterea, Quilibet potest licitè abstinere ab illis, quæ sunt sibi nociua in persona. Sed aliquando reddere debitum poscenti, esset personæ nociuum, vel ratione infirmitatis, vel ratione solutionis iam præteritæ. Ergo videtur quod licite possit debitum poscenti negari.

¶ 3 Præterea, Quicumque facit se impotentem ad faciendum id, ad quod ex præcepto tenetur, peccat. Si ergo aliquis ex necessitate præcepti tenetur reddendum debitum, videtur quod peccet, si ieiunando, vel alias corpus suum attenuando, impotentem se reddat ad debiti solutionem: quod non videtur verum.

Tho. 4. d.  
32. q. vn.  
art. 1. ¶

seq.  
† Hier. in ser. quod dicitur cuius titulus est De esu agni Paschalis, incipit, Hodie fratres charissimi, populus Israel ¶ refer. in decr. 33. q. 4. c. sciatis. \* 1. 4. sent. d. 32. §. D. in pr.

N n 4 ¶ 4 Præ-

† 8 Eth.  
cap. 12. 2  
med. 10. 5

¶ 4 Præterea, Matrimonium secundum Philosophum †, ordinatur ad procreationem prolis & educationem, & iterum ad communicationem vite. Sed lepra est contra utrumque matrimonij finem: quia cum sit morbus contagiosus, mulier non tenetur cohabitare viro leproso: similiter etiam morbus ille frequenter transmittitur ad prolem. Ergo videtur quod viro leproso vxor debitum reddere non teneatur.

SED contra, Sicut seruus est in potestate domini sui, ita & vnus coniugum in potestate alterius: vt patet 1. Corinth. 7. Sed seruus tenetur ex necessitate præcepti domino suo debitum seruitutis reddere, vt patet Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, &c. Ergo & vnus coniugum ex necessitate præcepti tenetur alteri debitum reddere.

¶ Præterea, Matrimonium est ordinatum ad fornicationem vitandam, vt patet 1. Cor. 7. Sed hoc non posset per matrimonium fieri, si vnus alteri non teneretur debitum reddere, quando concupiscentia infestatur. Ergo reddere debitum est de necessitate præcepti.

RESPONDEO dicendum, quod matrimonium principaliter est institutum in officium naturæ: & ideo in actu ipsius seruandus est naturæ motus secundum quem nutritiua non ministrat generationi, nisi illud quod superfluit ad conseruationem indiuidui: quia hic est ordo naturalis, vt prius aliquid in seipso perficiatur, & postmodum alteri de perfectione sua communicet: & hic est etiam ordo charitatis, quæ naturam perficit. Et ideo cum vxor in viro potestatem non habeat, nisi quantum ad generatiuam virtutem; non autem quantum ad ea quæ sunt ad conseruationem indiuidui ordinata: vir tenetur vxori debitum reddere in his, quæ ad generationem prolis spectant, salua tamen prius persone incolimitate.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis implet

plens aliquod præceptum, potest reddi inhabilis ad aliquod sacrum officium exequendum: sicut iudex, qui hominem ad mortem condemnat, præceptum implens, irregularis efficitur. Similiter etiam ille, qui præceptum implens debitum soluit, redditur ineptus ad diuina officia exequenda; non quòd ille actus sit peccatum, sed ratione carnalitatis illius actus. Et sic secundum quod Magister\* dicit, Hieronymus loquitur tantum de ministris Ecclesiæ, non autem de alijs, qui sunt suo iudicio relinquendi: quia possunt & ex reuerentia dimittere, & ex deuotione sumere corpus Christi absque peccato.

*l. 4 sent. d. 32 §. D.*

Ad secundum dicendum, quòd vxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salua consistentia personæ ipsius, vt dictum est\*. Vnde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed iniusta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei satisfacere.

*In co. 27.*

Ad tertium dicendum, quòd si aliquis reddatur impotens ad debitum soluendum ex causa ex matrimonio sequuta, puta cum prius debitum reddidit, & est impotens ad debitum soluendum: ulterius mulier non habet ius petendi; & in petendo ulterius se magis meretricem, quàm coniugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex alia causa: si illa est licita, sic iterum non tenetur, nec potest mulier exigere: si vero illicita est, tunc peccat; & peccatum vxoris, si propter hoc in fornicationem labatur, aliquo modo sibi imputatur: & ideo debet quantum potest dare operam, vt vxor contineat.

Ad quartum dicendum, quòd † lepra soluit sponsalia, sed non matrimonium, vnde\* etiam vxor viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare: quia non ita cito inficitur ex coitu sicut ex frequenti cohabitatione: & quamuis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse, quàm penitus non esse.

*sc litter. de coniug. leproso. ibid. c. 2 incipit. Quoniam.*

*Virum vir teneatur debitum reddere uxori non petenti?*

264

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod vir non teneatur debitum reddere uxori non petenti. Præceptum enim affirmativum non obligat nisi ad tempus determinatum. Sed tempus determinatum solutionis debiti non potest esse, nisi quando petitur. Ergo alias solvere non tenetur.

¶ 2 Præterea, De quolibet debemus præsumere meliora. Sed melius est, etiam coniugibus continere, quam matrimonio uti. Ergo nisi expresse debitum petat, debet vir præsumere quod ei placeat continere: & sic non tenetur debitum ei reddere.

¶ 3 Præterea, Sicut vxor habet potestatem in virum, ita dominus in seruum. Sed seruus non tenetur domino seruire, nisi quando sibi ab ipso imperatur. Ergo nec vir tenetur uxori reddere debitum, nisi quando ab ea exigitur.

¶ 4 Præterea, Vir potest aliquando uxorem exigentem precibus auertere, ne exigit. Ergo multo magis potest non reddere, si non exigit.\*

\*Al. exigitur.

**S**ED contra, In redditione debiti medicamentum præstatur contra vxoris concupiscentiam. Sed medicus cui infirmus est commissus, tenetur morbo eius subuenire, etiam si ipse non petat. Ergo vir uxori non petenti tenetur debitum reddere.

¶ Præterea, Prælati tenentur correctionis remedium circa peccata subditorum adhibere, etiam eis contradicentibus. Sed redditio debiti est in viro ordinata contra peccata vxoris. Ergo tenetur vir uxori debitum reddere, etiam non petenti.

**R**ESPONDEO dicendum, quod petere debitum contingit dupliciter. Vno modo expresse, ut quando verbis inuicem petunt. Alio modo interpretatiue; quando scilicet vir percipit per aliqua signa, quod vxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet: & ita etiam si verbis non expresse



torium simile sibi. Sed illud propter quod est alterum, semper est principale. Ergo, &c.

¶ 4 Præterea, Matrimonium principaliter ordinatur ad actum coniugalem. Sed in matrimonio vir est caput mulieris, ut patet Ephes. 5. Ergo non sunt æquales in actu prædicto.

S E D contra est, quod dicitur 1. Corinth. 7. Vir sui corporis potestatem non habet: & similiter dicitur de vxore. Ergo sunt æquales in actu matrimonij.

¶ Præterea, Matrimonium est relatio æquiparantia, cum sit coniunctio, ut dictum est \*. Ergo vir & vxor sunt æquales in actu matrimonij.

9.44. a I  
C 3.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est æqualitas, scilicet quantitatis & proportionis. Æqualitas quidem quantitatis est, quæ attenditur inter duas quantitates eiusdem mensuræ, sicut bicubiti ad bicubitum. Sed æqualitas proportionis est, quæ attenditur inter duas proportiones eiusdem speciei, sicut dupli ad duplum. Loquendo ergo de prima æqualitate, vir & vxor non sunt æquales in matrimonio, neque quantum ad actum coniugalem, in quo id quod nobilius est, viro debetur; neque quantum ad dispensationem domus, in qua vxor regitur, & vir regit. Sed quantum ad secundam æqualitatem sunt æquales in utroque: quia sicut tenetur vir vxori in actu coniugali & dispensatione domus, ad id quod viri est, ita vxor viro ad id quod vxoris est: & secundum hoc, dicitur in littera \*, quod sunt æquales in reddendo & petendo debitum.

l. 4. sent.  
d. 22. in  
princ.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis agere sit nobilius quam pati, tamen eadem est proportio patientis ad patiendum, & agentis ad agendum: & secundum hoc, est ibi æqualitas proportionis.

Ad secundum dicendum, quod hoc est per accidens. Vir enim qui nobiliorem partem habet in actu coniugali, naturaliter habet, quod non ita credebatur petere debitum sicut vxor: & inde est, quod vxor

vxor r  
viro, t  
Ad  
quod  
non fi  
Ad  
princi  
tur ca  
suo: &  
Virum  
d  
A  
v  
matrim  
æquali  
est \*.  
accipe  
etiam  
vorum  
jugum  
tere  
2 I  
confer  
sentire  
to diff  
simplic  
spiritu  
vnus p  
tempus  
3  
ritur d  
potest  
non pe  
ratione  
4  
rioris  
youcro



vxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir vxori.

Ad tertium dicendum, quòd ex hoc ostenditur, quòd non sunt æquales absolute, non autem quòd non sint æquales secundum proportionem.

Ad quartum dicendum, quòd quamuis caput sit principalius membrum, tamen sicut membra tenentur capiti in officio suo, ita & caput membris in suo: & sic est ibi æqualitas proportionis.

ARTIC. IV.

*Vtrum vir & vxor possint votum emittere contra debitum matrimony sine mutuo consensu?*

266

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd vir & vxor possint votum emittere contra debitum matrimony sine mutuo consensu. Vir enim & vxor æqualiter obligantur ad debiti solutionem, vt dictum est \*. Sed licitum est viro, etiam vxore prohibente, accipere crucem in subsidium terræ sanctæ. Ergo etiam hoc licitum est vxori: & ided cum per hoc votum redditio debiti impediatur, potest alter coniugum sine consensu alterius votum prædictum emittere.

ar. præcor.

2 Præterea, Non est expectandus in aliquo voto consensus alicuius, qui non potest sine peccato dissentire. Sed vnus coniugum non potest sine peccato dissentire, quin alter continentiam voueat, vel simpliciter, vel ad tempus: quia impedire profectum spiritualem, est peccatum in spiritum sanctum. Ergo vnus potest votum continentie simpliciter, vel ad tempus sine consensu alterius emittere.

3 Præterea, Sicut in actu matrimoniali requiritur debiti redditio, ita debiti petitio. Sed vnus potest sine consensu alterius vouere, quòd debitum non petet, cum in hoc sit sue potestatis. Ergo paritate ratione, quòd debitum non reddet.

4 Præterea, Nullus potest ex præcepto superioris cogi ad id quod non liceret sibi simpliciter vouere & facere: quia in illicitis non est obediendum.

\*Al. of-  
ficio.

dum. Sed prælatus superior posset præcipere viro, vt vxori ad tempus debitum non redderet, occupando eum in aliquo \* seruitio. Ergo hoc etiam ipse posset per se facere, & vouere, per quod à debiti redditione impediretur.

† Auguf-  
epi. 45. in  
fine.  
\* 1. Cor. 7

SED contra est, quod dicitur 1. Cor. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vœtis orationi.

¶ Præterea, † Nullus potest facere votum de alieno. Sed vir non habet potestatem sui corporis: sed vxor \*. Ergo sine eius consensu non potest vir votum continentiz facere, vel simpliciter, vel ad tempus.

2. 2. q. 88.  
art. 1.

RESPONDEO dicendum, quod \* vouere voluntatis est, vt etiam ipsum nomen ostendit. Vnde de illis tantum bonis potest esse votum, quæ nostræ subiacent voluntati; qualia non sunt ea, in quibus vnus alteri tenetur: & idè in talibus non potest aliquis votum emitte sine consensu eius, cui tenetur. Vnde, cum coniuges sibi inuicem teneantur in redditione debiti (vt dictum est \*) per quam continentia impeditur, non potest vnus absque consensu alterius continentiam vouere; & si vouerit, peccat: & non debet seruare votum, sed agere penitentiam de voto male facto.

ar. prac.

\*Al. ve-  
lit.

Ad primum ergo dicendum, quod satis probabile est, quod vxor \* debeat velle continere ad tempus pro subueniendo necessitati Ecclesiæ generalis: & idè in fauorem negotiorum, pro quibus crux sibi datur, institutum est, quod vir possit absque consensu vxoris crucem accipere: sicut etiam posset domino suo terreno, à quo feudum tenet, absque eius consensu militare. Nec tamen omnino subtrahitur vxori ius suum, quia vxor potest eum sequi. Nec est simile de vxore ad virum, quia cum vir debeat regere vxorem, & non è conuerso, magis tenetur vxor sequi virum, quàm è conuerso: & præterea vxor cum matrimonio periculo castitatis discurreret per terras, quæ

vir, &  
potest  
Ad t  
dissent  
quia ne  
sibi pra  
Ad t  
opinio.  
sensu a  
tum,  
verque  
si aler  
rimoni  
ret vnu  
idè al  
vnus sin  
Ad q  
testatè  
corpori  
no suo:  
viro cõ  
hoc, in  
test don  
  
Viru  
A D  
quin de  
morbo,  
in die f  
debet e  
¶ 2  
petendu  
oration  
termina  
petere.  
S E  
quia de

vir, & cum minori Ecclesiæ utilitate: & idèd vxor nō potest huiusmodi votum facere sine viri consensu.

Ad secundum dicendum, quòd alter coniugum, dissentiens voto continentiaē alterius, non peccat: quia non dissentit vt bonum illius impediatur, sed ne sibi præiudicium generetur.

Ad tertium dicendum, quòd circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd vnus absque consensu alterius potest vouere, quòd non petat debitum, non autem quòd non reddet: quia in primo vterque est sui iuris, sed non in secundo. Sed quia si alter numquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium nimis onerosum redderetur, dum oportet vnum semper confusionem debiti petendi subire: idèd alij probabilius dicunt, quòd neutrum potest vnus sine consensu alterius vouere.

Ad quartū dicendum, quòd sicut mulier accipit potestatem in corpore viri, saluo hoc, in quo vir tenetur corpori suo: ita etiā saluo hoc, in quo tenetur domino suo: & idèd sicut vxor non potest debitū petere à viro cōtra salutē sui corporis, ita nec ad impediendū hoc, in quo domino tenetur. Sed\* propter hoc nō potest dominus prohibere quin debitum reddat.

q. 51. ar.  
2. ad 3.

A R T I C. V.

*Utrum in diebus sacris impediatur petitio debiti?*

267

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd temporibus sacris non debeat aliquis impediri, quin debitum petat. Tunc enim est subueniendum morbo, quando inualefcit. Sed possibile est, quòd in die festo inualefcatur concupiscentia. Ergo & tunc debet ei subueniri per debiti redditionem.

¶ 2 Præterea, Non est alia ratio quare non sit petendum debitum in diebus festiuis, nisi quia sunt orationi deputati. Sed in illis diebus sunt horæ determinatæ orationi. Ergo alijs horis licet debitum petere.

S E D contra, Sicut aliqua loca sunt sacra, quia deputata sunt sacris, ita aliqua tēpora sunt sacra pro-

propter eandem rationem . Sed in loco sacro non licet petere debitum . Ergo nec in tempore sacro .

RESPONDEO dicendum , quòd actus matrimonialis quamvis culpa careat , tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem , hominem reddit ineptum ad spiritualia : & ideo in diebus , in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum , non licet petere debitum .

Ad primum ergo dicendum , quòd tempore illo possunt alia adhiberi ad concupiscentiam reprimendam , sicut oratio & multa huiusmodi , quæ etiam illi adhibent qui perpetuo continent .

Ad secundum dicendum , quòd quamvis non teneatur omnibus horis orare , tamen tenetur tota die se conferuare idoneum ad orandum .

## ARTIC. VI.

*Vtrum petens debitum in tempore sacro, mortaliter peccet?*

268

*lib. 1. c. 9.  
non pro-  
cul a pr.*

*\* Al. sa-  
cramentis*

AD sextum sic proceditur . Videtur , quòd petens debitum in tempore sacro , mortaliter peccet . Gregorius \* enim dicit in 1. Dial. quòd mulier , quæ nocte cognita est a viro , mane ad processionem veniens , a diabolo est arrepta . Sed hoc non esset , nisi mortaliter peccasset . Ergo , & c .

¶ 2 Præterea , Quicumque facit contra præceptum diuinum , mortaliter peccat . Sed Dominus præcipit Exodi 19 . Ne appropinquetis vxoribus vestris ; quando scilicet erant legem accepturi . Ergo multo magis peccant mortaliter , si tempore quo \* sacris negotiis intendendum est , cum vxoribus viri commisceantur .

SED contra , Nulla circumstantia aggrauat in infinitum . Sed indebitum tempus est circumstantia quædam . Ergo non aggrauat in infinitum , vt faciat mortale , quod alias esset veniale .

RESPONDEO dicendum , quòd debitum petere in die festiuo , non est circumstantia trahens in aliam speciem peccati : vnde non potest in infinitum aggrauari .

grauare: & ideo non peccat moraliter vxor, vel vir, si in die festiuo debitum petat: sed tamen grauius est peccatum, si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorem, quo quis sibi \* cauet de fabrico carnis, debitum petat.

\* Al. timet.

Ad primum ergo dicendum, quod non fuit puni- ta mulier illa, propter hoc, quod debitum reddidit, sed quia postmodum se temere ad diuina ingessit contra conscientiam.

Ad secundum dicendum, quod ex auctoritate illa non potest probari, quod sit peccatum mortale; sed quod sit in congruum. Multa enim ad \* mundi- tam carnis pertinentia exigebantur de necessitate, præcepti in veteri lege, quæ carnalibus dabatur, quæ in noua lege non exiguntur, quæ est lex Spiritus.

\* Al. em- datione.

ARTIC. VII.

*Vnum vnus coniunx teneatur alteri debitum red- dere in tempore festiuo?*

269

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod non teneatur tempore festiuo reddere debitum. Quia peccantes & consentientes, pariter puniuntur: vt patet Roman. 1. Sed ille qui reddit debitum, consentit, qui peccat. Ergo & ipse peccat.

¶ 2. Præterea, Ex præcepto affirmatiuo obligamur ad orandum, & ita ad aliquod tempus determinatum. Ergo pro tempore illo in quo quis orare tenetur, reddere debitum non debet: sicut nec eo tempore quo tenetur temporali domino ad speciale obsequium.

SED contra est, quod dicitur 1. Cor. 7. Nolite fra- dare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Ergo quando coniunx petit, reddendum est ei.

RESPONDEO dicendum, quod cum mulier ha- beat potestatem in corpore viri, quantum ad actum generationis spectat, & è conuerso; tenetur vnus alteri debitum reddere quocumque tempore & qua- rumque hora; salua debita honestate, quæ in talibus Supplementum.

o o exi-

exigitur : quia non oportet , quòd statim in publico reddat debitum .

Decr. 33. q. 5. c. Si dicat vir

Ad primum ergo dicendum , quòd ille quantum in se est , non consentit , sed id quod ab eo exigitur , inuitus & cum dolore reddit , & idè non peccat . Hoc enim est propter lubricum carnis diuinitus ordinatum , vt semper petenti debitum reddatur , ne aliqua occasio peccati detur .

Ad secundum dicendum , quòd non est aliqua hora determinata ad orandum , quin possit recompensari in alijs horis : & idè obiecto non cogit .

QVÆST. LXV.

De pluralitate uxorum , in quinque articulos diuisa .

**D**Einde considerandum est de pluralitate uxorum .

- ¶ Circa quod queruntur quinque .
- ¶ Primo , vtrum habere plures vxores sit contra legem naturæ ?
- ¶ Secundo , vtrum aliquando fuerit licitum ?
- ¶ Tercio , vtrum habere concubinam sit contra legem naturæ ?
- ¶ Quarto , vtrum accedere ad concubinam sit peccatum mortale ?
- ¶ Quinto , vtrum aliquando licitum fuerit habere concubinam ?

270 Tho. 4. d. 33. q. 1. ar. 1. c. seq.

\* in li. de bono con. iug. c. 15. 30. 6. † lib. 6. sent. d. 33. §. A. \* in li. de bono con. iug. c. 15. 30. 6.

ARTIC. I.

Vtrum habere plures vxores sit contra legem naturæ ?

**A**D primum sic proceditur . Videtur , quòd habere plures vxores non sit contra legem naturæ . Consuetudo enim legi naturali non prauddicat . Sed habere plures vxores , peccatum non erat , quando mos erat , vt August. \* dicit , & habetur in li. i. c. 1. Ergo habere plures vxores non est contra legem naturæ .

¶ 2. Præterea , Quicumque facit contra legem naturæ , facit contra præceptum : quia sicut lex scripta habet sua præcepta , ita & lex naturæ . Sed Augustinus \* dicit , quòd habere plures vxores non

non er  
hibetur  
legem  
¶ 3  
natur  
pluribu  
non est  
¶ 4  
nia ani  
dicere  
quòd si  
animali  
est con  
SED  
natural  
inditun  
ne hum  
Erant d  
¶ 6  
homo f  
est alter  
re , sui  
reddere  
naturæ  
ris trad  
debitum  
¶ 7  
vis fieri  
quòd vx  
naturæ  
¶ 8  
derium  
vxorem  
nibus in  
confort  
tura sic  
RESI  
natural